
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHTHISI TUBERCULOSA
PRÆCAVENDA ET PERSANANDA.

13

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHTHISI TUBERCULOSA
PRÆCAVENDA ET PERSANANDA;

QUAM,

-ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER WILLIAMSON,
SCOTUS.

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.

“ *Quare fugam morbi*———

“ —— *Neglecta solent incendia sumere vires.*”

HORAT. EPIST.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1801.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

VIRO EXIMIO,
CHRISTOPHERO LUNDIN,

DE
AUCHTERMAIRNEY
ARMIGERO ;

OB
INTEGRITATEM VITÆ, MORUMQUE COMITATEM,
AMICIS ET FAMILIARIBUS
GRATO ACCEPTOQUE,

OB
PATRIÆ AMOREM
CIVIBUS
PROBATO ;
HANC DISPUTATIONEM,

OB
BENEVOLENTIAM BENEFICIENTIAMQUE,
D.D.CQUE

ALEXANDER WILLIAMSON.

“ Neque sunt vires, neque qui color esse solebat :

“ Vixque habeo tenuem, quæ tegat ossa, cutem.”

OVID. TRIST.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI TUBERCULOSA

PRÆCAVENDA ET PERSANANDA.

PROOEMIUM.

§ I. **P**AUCI morborum frequentiores sunt, sæpiùsve mortiferi, quàm pulmonum tabes. Hoc morbo multa pars eorum consumitur, qui in BRITANNICIS insulis quotannis moriuntur. Atque, enimvero, ex iis, qui hac tabe macerantur, haud pauci florente ætate sunt, parentumque sola spes, sola voluptas.

II. Quibus causis oriatur phthisis, quibus notis cognoscatur, quotque malis miseris tabentes urgeat, memorare, longius est, quàm quod nobis hujusmodi opusculi fines permittant. Quocircà, nobis in animo est, ostendere, qua ratione arceatur hic morbus, et sanetur; eòque magis quòd, cùm, ubi aliquot annos medicinam fecimus, frequens esset, ei studendo multùm versabamur, quòdque oblata nobis rationem curandi novam, necdum satis comprobatam, experiendi occasio est.

III. Eam præcipuè pulmonum phthisin persequi statuimus, quæ tuberculis oritur; idcirco quòd omnium frequentissima est, necnon maxime idonea, qua comprobetur ratio, quam nobis consilium est exponere.

IV. Quotiescunque medicamentum, contra quemlibet morbum peculiariter efficax, prædicatum est, medici rationales, verentes, ut virtutibus

tutibus famam exæquet, initio plerumque ægrè timidèque experti sunt.

v. Sed, ut inconsiderata medendi rationis fiducia, ità pertinax quoque diffidentia, obstat, ne medicina subtiliùs excolatur. Fieri autem vix potest, quin res factæ, quas multi testati sunt, à rationalibus medicis brevi credantur. Et, etiamsi rariùs multò respondeat proposita ratio, quàm famâ feratur, satis tamen erit, quare mortales, invento tandem gravis morbi potente præsidio, gaudium atque lætitiã agent.

PARS

PARS PRIMA.

*DE**ARCENDA PHTHISI.*

vi. His præmissis, nunc dicendum est, quæ ratione phthisis arceatur. Providere, enimvero, ne morbi accidant, haud minùs medicorum est, quàm curare; ii autem maximè, qui, velut phthisis, gentilitiâ corporis proprietate oriuntur, ortique plerumque lethales sunt.

vii. Quum ità sit, medicorum est, eos, naturâ ad pulmonum tabem proclives, opportunè certiores facere, quàm periculosus iis morbus insidietur;

insidietur ; et præmonere, ut, quæcunque ei obrepenti occasionem offerant, quàm sedulissimè caveant.

VIII. Neque, enimvero, minùs medicorum officium est, phthisicorum parentes docere, quæ vitanda sint, quæ facienda à se natis, ut corporis incolumitate fruantur ; undè præsidia salutis parentur ; ubi gentium, vacui à morbo sint, quem, vae miseris mortalibus ! medicina rarissimè scit curare.

IX. Alia mala, nec minùs periculosa, quàm tabes, ex parentum negligentia, aut monitis neglectis nihilive habitis, oriuntur. Quàm sæpè novitate rerum incitati, aut corporis vigore cæteris ætate æqualibus anteundi studio ardentibus, juvenes, viribus nimis freti, adeò strenuè sese exercent, ut neque spiritum liberè trahere et emittere possint, neque sanguinem transmittere per pulmones ? Quò fit, haud rarò, ut tuberculis pulmonum enatis, aut sanguini hinc effu-

6 DE PHTHISI TUBERCULOSA

so et extussito, superveniat tabes, lentâque morte miseros consumat.

x. Phthisicorum igitur parentes oportet interdicare, ne puerilibus certaminibus sese inserant, quibus spiritus nimis, nimisve diù, concitetur, coangusteturve pectus ; etiamque, ubi adoleverint, præmonere, quantum detrimenti accipiant à nisibus magnis, et nimiâ quâcunque exercitatione.

xi. Posituræ corporis, itemque zonæ aliave vestimenta, quæ liberos costarum septique transversi motus impediunt, à phthisicis, ætate teneris, necdum firmatis, quàm maximè vitanda sunt.

xii. Utì nulli, forsitan, mortalium sunt, præquadam corporis proprietate, aptiores, qui levibus causis malè afficiantur, quàm phthisici ; ità nullorum pluris interest, omnia sedulissimè cavere, à quibus eorum corpora detrimentum capiant.

capiant. Neque, enimvero, hunc in finem, satis est, frigus vitare, et humorem, et fatigationem, modò se clanculùm committant iis vitiis, quæ eos debiles pariter faciant ac irritabiles.

xiii. Subitanæ nec leves temperiei varietates, uti majus invalidis periculum afferunt, quàm frigidior temperies quæ constantior sit, ità à phthisicis magis cavendæ sunt. Quantum conclavia calida, cœtus frequentes, cœnæ opiparæ in multam noctem protractæ, et nocturnæ dormitiones, mala tempestatis augeant et multiplicent, quæ cœlis variis communia sunt, quotidiana cheu! docet experientia.

xiv. Ne igitur corporibus imbecilli quid mali capiant à vicissitudinibus mutabilis cœli, debent, quàm possunt maximè, omnia fugere, quæ debiles reddant, ideoque irritabiles. Hoc consilio, utile erit, nunquàm permittere, ut cubiculorum temperies eâ calidior sit, quam indicat sexagesimus gradus, sexagesimusve quintus,

tus, *thermometri Fabrenheitiani*. Hujusmodi, enimvero, temperies ad firmitatem corporis conduceret, pariter atque ad animi vigorem.

xv. Ubique orbis terrarum, corporis vestitus cœli ingenio et temperiei idoneus esse debet. Nusquàm autem gentium, quàm apud nos, vestitus calidus magis necessarius est. Præcipiendum igitur nostratibus est, ut cuti proxima semper habeant indusia lanæa aut xylina, eaque subindè detersea ; quæ gratum totius corporis calorem foveant, ac non solùm salutarem eliciant cutis halitum, sed et elicited resorbent. Vel, siquandò, his præceptis spretis aut neglectis, lintea tactu jucundiora putant, ea saltem induere debent, quæ ferreâ massâ non lævigata sint.

xvi. Qui, præ corporibus delicatis et irritabilibus, phthisi obnoxii sunt, ii idoneam diætæ et exercitationis habere debent rationem ; quippe quibus nihil, ad formandam emendandamve

damve corporis constitutionem, qua in morbos proclives fiunt mortales, plùs polleat. Summi igitur momenti est, esse carniùm modicos, et vini abstemios ; ne sanguine nimis pleni sint, ideoque levibus quibuscunque stimulis excitentur, atque, pulmonum inflammatione correpti, lentâ tabe pereant.

xvii. Utì cibi, quos natura appetit, corporisque usus requirit, rarissimè nocent ; ità nunquàm non, seriùs ociùs, stomachum, cæterumque quidem corpus, dissolvit ingluvies, quam provocant gulæ incitamenta, cuique explendæ idoneas dapes opiparas suppeditant artes, quæ luxuriei ministræ sunt et voluptatum.

xviii. Dapibus lautis plerumque succedunt calices profundi et pleni ; hisque, aut vespertina inertia, aut effrænata libido. Hujusmodi itaque hominibus, quibus, contra naturam, corpus voluptati est, animus oneri, non salutarem

lutarem laborem, nedum lassitudinem, somnus subsequitur, sed ignobilem socordiam, aut vituperandam indulgentiam.

xix. Cibos et potus ingurgitando, ultra quàm stomachus perficere potest, deinceps inertiae se libidinibusve tradendo, non stomachus modò resolvitur, totumque corpus; sed, præ fugientibus paulatim viribus, homo ad irritandum facilis fit, et, si phthisicis ortus parentibus, haud rarò pulmonum tabe consumitur.

xx. Neque, enimvero, hoc mirum. Namque gulæ obedientia non infirmit modò corpus, sed et aptius facit, quod vel levissimis incitamentis vehementissimè instimuletur. Quinetiam, immodica escarum vis, quam ventri dediti quotidie ingurgitant, per magnam cum diei tum noctis partem, impedit, quò minùs, inter spiritum trahendum, satis descendat septum

tum transversum, adeòque dilatentur pulmones, ut in eos sanguis expeditè diffundatur.

XXI. His de causis, fieri vix potest, quin turpis ventris indulgentia, in naturâ phthisicis infirmum præmaturè corpus reddat, neque rarò faciat, ut in pulmonibus oriantur tubercula, ortave inflammationem concipiant.

XXII. Dum autem phthisici unum vitium fugiunt, caveant, ne in contrarium currant. Utì iis omnia æqualiter extrema nocent, ità salutaris mediocritas est inter nimium et parum. Cùm ità sit, dum continentes in mensis phthisici sunt et temperantes, cavendum est, ne esculentis potulentisque plùs nimidò absterneant. In mensis enim, haud secùs ac cæteris, modus est, quem ultra citraque, prospera nequit consistere valetudo.

XXIII. Dum igitur, nec, vescendi causâ, terrâ marique omnia exquirunt, nec dormiunt priùs, quàm

quàm somni cupido sit, nec famem et sitim luxu antè capiunt ; debent, statutis temporibus, appetitui satisfacere simplicibus dapibus, quas, dum vires salutariter reficiunt, stomachus validus, jejunos, nequedum luxu fastidiosus, nec aversatur nec temnit.

xxiv. Quum, ut omnes partes corporis ad sua munera validæ sint, opus sit, ut totum corpus satis exerceatur, oportet eos, qui congenitâ corporis proprietate phthisici sunt, modicâ quotidie exercitatione uti.

xxv. Quò verò conveniat exercitatio et prosit, medicus debet animadvertere et percunctari, quis phthisici animus sit ; quæ corporis valetudo ; quæ vitæ fuerint ratio et consuetudo. Quippe, his incompertis et incognitis, ignorabit, quæ cuique exercitatio quantaque idonea sit.

XXVI. Quinetiam, ne phthisicis parentibus orti pulmonibus ægri fiant, lentâque tabe consumantur, debent, expletâ pubertate, si res sinant, peregrina loca quærere; ubi vera longiora, tepidioresque brumas, Jupiter præbeat; ubi suda cœla serenent animum; et quotidiana naturæ rerum pulchritudo, dulcedo, concentus atque novitas, omnem permulceant sensum voluptate.

XXVII. Præter autem præsidia valetudinis, quæ memoravimus, adolescentes phthisicis parentibus nati, qui corporibus jam infirmi sunt, validiora requirunt, quæ ab imminente eos morbo tutentur. Phthisicis, ætate adolescentibus florentibusve, corporis infirmitas haud rarò supervenit; potissimùm autem fœminis, à quibus igitur, quia cùm amabiles sint, tum correptæ rarissimè revalescant, medicos et oportet et decet venientem morbum arcere.

xxviii. Frigidarium, uti infantibus et tutum est et salubre, ità, si modò in eo, per complures annos, quotidie perseveretur, totum corpus plurimùm firmat. Hac ætate, nihil illinc detrimenti pulmones capiunt. Adultis autem longurionibus, quibus pectus angustius est, quàm cæteri corporis ratio postulat, anceps est valetudinis præsidium, neque, nisi consideratissimè, adhibendum. Qui pulmonum tabem jam persentiscunt, ii, uti docuit experientia, frigidarium debent fugere (A).

xxix. Adultis, parentum vitio phthisi opportunis, jamve tabescentibus, uti efficacius, ità tutius præsidium, est tepidarium. Hujusmodi enim adolescentibus, uti observavit MARCARDIUS, vigorem restituit; facitque, ut sanguis in corpus æqualiter omne distribuatur, atque

(A) BEDDOES. *On Consumption.*

que spiritum pulmones faciliùs hauriant et red-
dant.

xxx. Ex multis experimentis concludit
MARCARDIUS, tepidarium, modò alienæ res
nullæ obstent, arteriarum motus tardare, ne-
que multò pòst, itidem spiritum ; quò celerio-
res solitò arteriarum motus sunt, eò magis tar-
dare tepidarium ; et plurimùm tardare tepida-
rium, cujus temperies tanta est, quantam indi-
cat nota, inter octogesimam quintam et nona-
gesimam sextam, *thermometri Fabrenheitiani*.

xxxI. Si has conclusiones comprobent futu-
ra pericula, tepidarium tutissimum remedium
erit, quo medici nedum phthisicis parentibus
ortos à pulmonum tabe tutentur, sed etiam jam
tabescentibus subveniant ; eòque magis, quòd
his subsidiari aliis remediis medicamentisve,
ex iis quæ roborant, non licet.

XXXII. Sed, dum parentum vitio phthisici student imbecilla corpora firmare idoneis remediis, omnia debent cavere et fugere, quæ vires labefactent, ipsosque ad irritandum faciles reddant. Hujusmodi sunt, frequens partus, diuturnus lactatus, et longus hydrargyri usus.

XXXIII. Fœminis teneris, et corpora delicatioribus, quæ diutino lactatu emacrescunt et febricitant, haud rarò tabes obrepit, atque dissipatis paulatim viribus, mortem affert. Fœminis hac causâ phthisicis nonnunquàm multùm prodest *cinchonæ* cortex: atque hinc inconsiderati medici, similitudine inducti, temerè crediderunt, omnibus pariter tabentibus profuturum.

XXXIV. Quoties adolescentes, ætateve florentes, ii præsertim hæreditariâ corporis proprietate ad phthisin proclives, pulmonum inflammationem persentiscunt, aut hinc sanguinem extussiunt,

extussiunt, aut distillatione *asthmateve* afficiuntur; iis efficacissimis medicamentis et remediis quamprimum succurrendum est, et, enimvero, succurrendo perseverandum, donec periculum cessaverit.

xxxv. Quòd si naturâ phthisici à levissimis tempestatis varietatibus, imò omni ferè aurâ, detrimentum capiunt, et distillatione pectorisve doloribus urgentur, adè ut haud multùm absint, quin pulmonum invaletudine tabescant; pars thoracis dolenti quàm proxima exulceranda est, neque, in aliquod tempus, permittendum, ut ei cuticula renascatur.

xxxvi. Quinetiam, si res permittant, debent, sine mora, patrium permutare calidiorè cœlo; et peregrinè commorari, dum ætati supervixerint, qua phthisis solet obrepere.

PARS SECUNDA.

DE

PHTHISI PERCURANDA.

XXXVII. DE arcenda phthisi diximus. Proximum est, ut, qua optimè ratione percuretur, exponamus. De hac rei nostræ parte, utpotè quæ non singulorum modò intersit, sed et civitatis, fusè dicere, nobis in animo est.

XXXVIII. Ubi, inter pubertatem aut duodevigesimalium vitæ annum et trigesimum quintum octavumve, phthisicis parentibus nati, ipsique corporis fabricâ parentibus similes,
verno

verno potissimùm tempore, tussiculâ frequente et siccâ vexantur, macescunt, debiles fiunt, singulis diebus, præcipuè vespere, febricitant ; vix dubium est, quin pulmones aut inflammationem ceperint, aut in eo sint, ut capiant ; ideoque iis quàm opportunissimè subveniendum.

xxxix. Ne autem persanentur pulmonum mala, quæ phthisicâ corporis proprietate nascuntur, obstant multa ; quæ aut caveri emendarique nequeunt, aut ipsâ curatione, qua utuntur ægri, phthisin excitandi exasperandive potentia fiunt.

xl. Præter enim fabricam pulmonum, et irrequietos motus, quibus spirando, tussiendo, et loquendo agitantur ; ipsa corporis mobilitas, gentilitiâ imbecillitate orta, obstat, quò minùs in efficacissimam phthisin curandi viam procedatur. Ipsa enim medicamenta et remedia, quibus tabescentibus succurritur, eorum cor-
pora

pora ad irritandum facilia reddunt ; et sic, etiamsi, per paucos dies hebdomadasve, manifestiora mala aliquatenus levent, faciunt tamen, ut horum semina magis vigeant.

XLII. Causis phthisis cognitis, et signis in memoriam revocatis, nobis consilium est, quò tabenti opitulemur, inflammationi pulmonum et suppurationi occurrere ; corpus minus aptum reddere, quod excitetur ; et mala levare, quæ maximè urgeant.

XLIII. Quò verò hanc curationem exsequamur, ante omnia, opus erit, ægris excitantia omnia quàm maximè circumcidere. Hoc consilio, considerandum est, qualis diæta maximè idonea sit, qualis exercitatio, et quale cœlum.

XLIII. Cùm autem suprâ, de his, fusè dixerimus, ubi de arcenda phthisi res erat ; necessarium erit, hîc loci, tantùm perpauca sub-
jicere, quò clariùs pateat, qualis diæta, exer-
citatio,

citatio, et cœlum, phthisi languentibus conveniant.

XLIV. Omnes ferè auctores, qui, de tabentium diæta, dixerunt, contendunt, carnes, ex toto, subducendas esse; et ægros debere terrâ natis vivere, et lacte aut per se, aut cum quibusdam farraceis incocto. Putant enim, tali diætâ dum corpus nutritur, non, ultra quàm satis est, incitari cor et arterias.

XLV. Haud rarò autem, uti nobis videtur, intutum est, phthisicos à carnibus, ex toto, abstinere. Superquàm enim quòd hæ interdum necessariæ sunt, ad vires alendas; farracea cum lacte, dummodo iis ex toto vivatur, stomachum haud rarò gravant et inflant, adeòque concoctionem impediunt, ut in sanguinem converti nequeant. Quò fit, ut corpus non satè alatur, ideoque penuriâ alimenti, vix minùs quàm vi morbi, quotidie tenuetur. Quinetiam, debilitate et malo sanguinis habitu,

quæ

quæ his causis nascuntur, miseri expectatione citiùs apti fiunt, qui, singulis diebus meridie et vespere, febricitent, et profusionibus alvi sudoribusque nocturnis digerantur.

XLVI. Neutiquàm tamen nobis consilium est asserere, omnibus pariter phthisi marcescentibus carnes concedendas : etenim hoc esset, unum extremum fugere, et in contrarium currere. Sed, nostrâ opinione, medicis considerandum est, quæ miseris pristina vivendi ratio esset, quæque alimenta stomachus possit concoquere ; et, si, sive vitæ consuetudine, sive stomachi imbecillitate, cibos è terrâ genitos perficere nequeant, iis permittendum, ut parvam quotidie carniùm copiam assumant. Quippe, tali diætâ optimè cavebitur, tam ne, præ plenitudine nimiâ, inflammationi opportuniores justò fiant, quàm ne, ob debilitatem, ad irritandum solitò faciliores.

XLVII. Utì autem phthisicis nonnunquàm concedatur pauxillum carnis assumere, ità mero, aliisque potionibus meracioribus, iis, ex toto, interdicendum est. Nunquàm, enimvero, iis permittendum est, ut potulenta meraciora adhibeant, nisi ubi stomachus, propter defectum stimulantium, quibus, contra naturam, se assuefecit, ad alimentum concoquendum invalidus est; et plus, à mero et meracioribus negatis, periculi, quàm à concessis, pertimescendum.

XLVIII. Nullis phthisici exercitationibus uti debent, nisi modicis et levioribus; ambulatione, nimirum, equitatione, gestatione, suspensi lecti motu, et navigatione: neque, profectò, his quidem, ut infrà ostendemus, nisi quibusdam tempestatibus, dieique temporibus.

XLIX. Pulmonum tabe macrescentibus maxime idoneum cœlum est, quod, dum salubre est et modicâ temperie, neque variū est, neque mutabile.

tabile. Quocircà, omni ætate, ex quo tempore ars medicinalis excoli cœpit, medici hoc morbo ægris præcipere soliti sunt, ut, primo quoque tempore, mite cœlum peterent, ubi perennent lætificus calor, atque gratissima serenitas.

L. Sed, quoties seu res angustæ non sinunt, seu vires non patiuntur, in mitiora cœla migrare, expedit phthisicis, uti monet GREGORIUS (A), arte sibi domi Tempe facere; ubi communitate amicorum propinquorumve, simulque temperie modicâ et constante, fruuntur.

LI. Hunc in finem, phthisici debent, ædificii lucidi, nec auris fluminum atque stagnorum
expositi,

(A) Aud. GREGOR. Prælect. in *Medicin. Practic.*
in *ACAD. EDIN.*

expositi, cubiculo spatioso habitare ; cujus temperies perflatu æstivo, hiberno sole et foco, conservanda tanta est, quantam gradus sexagesimus *thermometri Fabrenheitiani* indicat, aut, ad summum, sexagesimus quintus. Intereà, oportet cavere meridianum solem, matutinum et vespertinum frigus ; minimèque nubilo cœlo, soli aperienti se committere, ne modò frigus, modò calor moveat : quæ res maximè gravedines destillationesque concitat, quibus sanè nihil phthisicis perniciosius.

LII. Dum idoneam temperiei domi forisque rationem habent, utile erit tales exercitationes adjicere, quales animis perplaceant, atque vires facilè patiantur. Quæ verò hæ sint, neutiquàm nobis consilium est nominatim dicere ; eòque minùs, quòd gratissimam quisque sibi convenientissimamque optimè eliget.

LIII. Tali temperie perseverantèr habitando, aliis simul subsidiis virium decedentium non
D neglectis,

neglectis, mala, quæ phthisicos urgent, sæpè, magna ex parte, mitescent ; vel saltem cavebitur, ne tempestatis vicibus exasperentur, et mortem properent.

LIV. Ne tubercula pulmonum inflammatione capiantur, plurimi medici sanguinem detrahunt ; nisi, ubi, præ corporis imbecillitate, timent, ne hinc detrimentum ægri capiant.

LV. Cùm verò nobiscum consideramus, quantillùm sanguinis ex brachio missio possit ad inflammationem duritiarum discutiendam, quæ arteriarum debilitate magis, quàm nimiâ incitatione, oritur ; apparebit, quàm difficile sit discernere, utrùm, ex partis inflammationis incremento, plus mali timendum sit, an debilitate totius corporis, quæ sanguinis ex brachio detractiōni superveniat ; et annon irritatio, ex inflammatione partis orta, efficacius sedetur, ipsaque inflammatio digeratur, sanguinem ex ea ipsa parte eliciendo, aut certè quàm proximâ.

LVI. Ubì autem phthisici, ut interdum, pleni sunt et robusti, sanguinem ex brachio emitte, uti necessarium erit, ita tutum. At si, uti sæpiùs, delicati et ad irritandum faciles, cum satius erit, tum tutius, à brachii venis abstinere; atque hirudinibus, aut cucurbitulis cum ferro, aut scalpro chirurgico, tantum sanguinis ex parte dolenti quàm proximâ elicere, quantum mala urgentia levet, neque tamen universum debilitet corpus.

LVII. Phthisicis, omni morbi tempore, exulceratio, uti tutum est, ita potentissimum remedium. At tum maximè opus est exulcerare, ubi aliqua pars pectoris dolet, et æger cum spirandi difficultate vexatur, tum molestâ tussiculâ. Si vehementior noxa est, ac neque febricula, neque spirandi difficultas, neque tussis, quiescit; oportet non sinere exulceratam partem sanescere, nisi hæc mala finita aut saltem levata fuerint.

LVIII. Quum, morbo nondùm confirmato, alvus tarda sit et dura, mitioribus subindè catharticis citare ac emollire opus est, ne stercore retento et irritante vis omnium malorum exasperetur.

LIX. Omnibus autem medicamentis, quibus præcaveatur aut discutiatur tuberculorum inflammatio, præpollet *digitalis*. Cùm ità sit, haud alienum erit, hìc loci, de ea fusiùs dicere; atque expedire, non solùm quas possideat virtutes, et quæ mala afferat inconsideratè adhibita, sed etiam quandò et quemadmodùm auspikatò præscribatur.

LX. Jam olim medici haud ignorabant, *digitalis* quædam pulmonum mala levandi vim possidere. Sed difficultas tutè ministrandi, et mala gravissima, quibus haud rarò ægros affecit, à præscribendo eos absterruerunt.

LXI. Quanquam laudes forsàn non meretur, quibus nonnulli medici extulerunt; tamen haud dubiè corpus plurimùm affiendi potens est, et apprimè digna, quæ *MATERIA MEDICA* comprehendatur.

LXII. Quantùm ad hydropem curandum valeat *digitalis*, medicis dudùm satìs innotuit; et vero haud absimile est, brevi fore, ut eâ morbis itidem haud paucis, quibus sanguinis motus, supra consuetudinem, incitatur, medici subveniant.

LXIII. BEDDOESIUS, DARVINUS, DRAKIUS, FOULERUS, KINGLAKIUS, MACLEANIUS, et MOSSMANNUS, medici sanè præclari omnes, summam dederunt operam, ut cùm famâ tum literis *digitalis* virtutes concelebrent; comperti, uti perhibent, plurimùm posse, ad pulmonum tubercula discutienda, itemque alios morbos, qui concitatis cordis et arteriarum motibus oriuntur.

LXIV. DRAKIUS, *hecticam oxygenato* pure absorpto nasci ratus (A), contendit, *digitalem* ad phthisin pulmonum sanandam pollere; partim faciendo, ut pus antè absorbeatur, quàm *oxygenio* vitiatum est; partimque ità sedando tranquillandove cordis atque arteriarum motus, ut pus parciùs secernatur.

LXV. Quantùm autem ex nostris periculis cognovimus, vel didicimus ex periculis medicorum in valetudinario EDINENSI, non est, quamobrèm credamus, *digitalem* facere, ut ex pulmonum ulceribus pus uberiùs absorbeatur.

LXVI. Neque, enimvero, DRAKIO assentimur, *hecticam* phthisicorum ex absorpto pure *oxygenato* oriri. Quippe, ut nemo ignorat, *hectica*

(A) Vid. BEDDOES. *Medical Contributions*.

tica haud rarò enascitur abscessibus in corporis partibus, in quas nullus aëri patet aditus; et etiam phthisicos, ut ipsi vidimus, sæpè, complures ante menses, adoritur, quàm ex ulcerosis pulmonibus pus expectorare incipiunt, imò quàm apparet, quòd tubercula suppurâsse suspicemur.

LXVII. DRAKIUS quidem et DARVINUS hanc *hecticam*, nomine *FEBRIS A PURE CLAUSO*, distinguere conantur à vera *hectica*, quam appellant *FEBREM A PURE APERTO*. Verisimillimum autem est, has *hecticas* nullâ re, nisi gradu, differre, et causis quibus oriuntur.

LXVIII. Censet FOULERUS, *digitalem* phthisicis prodesse, vasa absorbentia stimulando, dum motus cordis tardat et arteriarum (A).

LXIX.

(A) Vid. BEDDOES. *Medical Contributions*.

LXIX. Verùm, vires tam contrarias, necne, possideat *digitalis*, dubium nobis videtur; eò quòd, si utique possideret, pulmone laborantibus parùm proficeret. Etenim, si, uti putat MONRO (A), et sanè verisimillimum est, vasa *lymphatica* solidas partes non absorbent, donec eas humor ab arteriis secretus dissolverit; vis arteriarum, æquè ac absorbentium, ad duritias quaslibet emolliendas necessaria est, neque ullum medicamentum has digerere potest, nisi utramque simul vim æqualiter pariterque augeat seu intendat.

LXX. *Digitalis*, quoties auspiciatò assumendam curavimus, arterias tardavit; cerebrum sedavit, ac nervos; et nauseam subindè movit, atque vertiginem. At, quoties parùm profuit,

res

(A) AUD. MONRON. Prælect. De Anat. et Chirurg. in ACAD. EDIN.

res aliter se habebant. Ægrotus perquam stomachicus erat; arteriarum pulsus, compluries quotidie, erant vi atque temporibus inæquales, nonnunquam etiam tremuli.

LXXI. Hoc medicamento plenioribus dosibus assumpto, plerumque arteriarum motus tardantur: identidem urgent nausea, vertigo, vomitus, stomachi languor et imbecillitas, præcordiorum gravitas: urina citatur, sedimentum deponit, atque interdum ex rubra fit colore naturalis; aliàs autem parùm, si omninò, mutatur.

LXXII. KINGLAKIUS BRISTOLIENSIS animadvertit et didicit ab experientia, nauseam et vertiginem, modò ægrum perurgeant, aliquatenùs obstare, quò minùs *digitalis* phthisicis optatò opituletur. Debilitate enim, quam inducunt, ingravescit *hectica*; arteriarum ictus parvi fiunt atque imbecilles; et exasperatur tussis. Simul autem ut hæc mala obstant,

digitalis aut non diutiùs prodest, aut certè expectatione minùs.

LXXIII. Quò his obstantibus obviàm eatur, oportet, uti censet hic medicus, vires concidentes quàm maximè redintegrare et sustentare esculentis potulentisque nutrientibus, parcè, at subindè, assumptis ; qualia, dum corpus alunt, non nimis cor stimulent et arterias.

LXXIV. Hujusmodi sunt exiguitas carniùm impuberum animalium, et potiones parùm stimulantés. Carnes aut ipsæ assumantur, aut aqua decocta ex his, aut jusculum, aut jusculum coactum ; pro valetudine stomachi, et pristinâ diætæ consuetudine. Prætereà, abdomen, è regione stomachi, identidem laneis tepidis, aliisque idoneis perfricandum est.

LXXV. Si, dum nimios arteriarum motus sedat *digitalis*, acremque nimis cerebri nervorumque sensum hebetat ; diætâ nutriente nec
stimulante

stimulante stomachus atque arteriæ firmari possunt, et totum quidem corpus minùs aptum fit, quod irritetur inciteturque, adeò ut satis diù adhibeatur medicamentum ; fieri potest, ut morbus aliquatenùs mitescat, imò forsitan persanetur.

LXXVI. Dum arteriarum motus tardantur, earum ictus, modò idoneâ diætæ ratione universi simul corporis reficiatur vigor atque sustentetur, pleniores fiunt et molliores. Verisimillimum autem est, pro arteriarum tarditate, phthisicos minus aptos fieri, quorum pulmones inflammationem capiant, quorumque nervi, supra modum naturalem, sentiant.

LXXVII. Potest igitur, si modò nihil obstet, quò minùs in *digitalis* usu perseveretur, fieri, ut mala, quibus, propter irritabilitatem, et acrem nimis sensum, phthisici urgentur, mitescant, aut, ex toto, finiantur ; febricula, nempe,

pè, tussicula, et spirandi difficultas. His malis conquiescentibus, fieri potest, ut vires paulatim revalescant; dūritiæ pulmonum, seu tubercula, discutiantur; novatrices, denique, corporis vires, veræ sanè, at nondum satis cognitæ, semina morbi extinguant, et corpore eliminent.

LXXVIII. Sed minùs medicorum interest, quo modo agat *digitalis*, scire, et, quam rationem habeat, perspicere; quàm intelligere, quâ formâ, et quousque tutò et auspiciatò adhibeatur. Quocircà, pauca, de hac re, animadvertenda et in memoria tenenda, excerptimus è scriptis KINGLAKII et MACLEANII (A), quæ, hìc loci, quàm paucissimis memorabimus.

LXXIX.

(A) Vid. *Lond. Medical and Physical Journal*.

LXXIX. Quoties opus est, ut *digitalis* cautissime adhibeatur, *saturata* ex ea *tinctura* (A), uti dicitur, pulveri præferenda est. Nescit enim medicus, qui pulverem præscribit, accuratè judicare, quantam medicamento vim æger assumat. Quinetiam, pulvis nonnunquam iners aliquandiù latet in stomacho atque intestinis, et dein gravissimis derepentè malis ægrum afficit.

LXXX. *Digitalis*, porrò, in corpus lentè et paulatim ingerenda est. Initio, pulveris granum granive dimidium assumi debet, *tincturæ* guttæ quindecim, bis terve quotidie; atque utriuslibet dosis sensim augeri. Prorsus autem omittendum hoc medicamentum est, vel saltem aliquandiù intermittendum, si ejus usui superveniat

(A) ℞ Fol. Digital. Purpur. ʒ i.

Spirit. Vin. ʒ iv.

Fiat Tincturæ.

superveniat aut nausea, aut vertigo, aut pulsus inæqualis.

LXXXI. Quinetiam, medicus, qui phthisicis assumendam *digitalem* curat, animadvertere debet, recens, necne, planta sit; corporisne constitutioni et valetudini conveniat; quantumque boni expectandum. Namque, his incognitis, ignorat, et quantâ copiâ et quamdiù æger tutò assumere possit. Dummodo cautè consultèque assumatur hoc medicamentum, in ejus usu potest, per hebdomodas, imò etiam menses, perseverari.

LXXXII. Siquandò nimio *digitalis* usu oriantur et perurgeant nausea, vertigo, et inæqualis arteriarum motus; sine mora, subveniendum est lenioribus stimulantibus, vino nempè aquâ diluto, aquâ decoctâ ex carne bovillâ, et, si qua, similibus. Nisi autem ubi periculum minitentur hæc mala, vinum consilio

silio prorsùs alienum est, quo ad *digitalem* decurritur.

LXXXIII. Quum *digitalis* non semper artèriarum motus tardet, minimè ex his solis exploratis medicos oportet judicare, quemadmodùm et quousque totum corpus afficiat.

LXXXIV. Quandò alio quidem modo *digitalis* sanum corpus afficit, alio invalidum; interest medici, priusquàm præcipit, ut assumatur hoc medicamentum, cognoscere, quali cæteroquin corporis valetudine fruuntur phthisici, præcipuè an sordibus onerentur stomachus et alvus. Namque, si ex aliena materia malè se habeant hæ partes, eâ priùs expurgandæ sunt idoneis medicamentis, quàm assumitur *digitalis*. Quippe, ni molesto onere liberentur, hoc medicamentum gravem vomitum, atque inexsuperabile sui fastidium, movebit.

LXXXV. Quò maturiùs *digitalis* phthisicis opitulatur, eò plus hinc commodi expectandum est. Quò, contrà, diutiùs increvit phthisis, eò ad curandam levandamve minùs pollet hoc medicamentum. Ait quidem DRAKIUS, se incipienti phthisi nunquàm *digitali* succurrisse. Docuit autem maturior experientia, esse, cur metuamus, ut phthisi inveteratæ seu ulcerosæ *digitalis* peridoneum medicamentum sit, et ad curandam pervaleat.

LXXXVI. Simul ut didicerint medici, qua efficientiâ naturali polleat *digitalis*, quemadmodùm commodissimè ministretur, cuique corporis constitutioni et valetudini, præ cæteris, conveniat; verisimillimum est, uti consideratiùs prudentiùsque præscribetur, ità plùs profuturam.

LXXXVII. Ubì apparet, undè, phthisicorum pulmones solito aptiores esse qui irritentur, medici credant, utile forsitan esset, aëre vesci,
quocum

quocum *gasia* quædam aliena nec vitalia com-
mixta sint, præsertim *gas hydrogenium carbo-*
natum. *Gas acidum carbonicum*, uti fertur,
nonnunquam consequitur, ut pus, quod extus-
siunt phthisici, naturalis odoris fœditatis ex-
pers fiat.

LXXXVIII. Exploratum habent medici, id
sanè quod clarè comprobant DUMÆ MONTIS-
FESSULANI experimenta, aëra, quocum concor-
poratur plus solito *oxygenii*, pulmones solito
magis irritare (A). Neque, profectò, vero ab-
simile est, ubi pulmones, sicut ii intabescen-
tium, justò ad irritandum faciliores sunt, aëra,
in quo, ob admistum *gas* alienum nec quidem
vitale, potissimum sedans, velut *gas hydrogeni-*
um carbonatum, *oxygenium* rationem solito mi-
norem habet, multum profuturum.

(A) Vid. DUM. in *Lond. Med. and Physic. Journ.*

LXXXIX. Præter medicamenta, quæ memoravimus, haud insolitum est, syntecticis subvenire aliis quibusdam, quæ urgentia mala potentiùs perseverantiùsve levent. Hujus generis sunt, opium; medicamenta, ex iis quæ fauces illinunt; *acidum sulphuricum aromaticum*; medicamenta, ex iis quæ acorem innocuum reddunt; subaciduli, *dulcacidulive* fructus.

XC. *Opium* intabescentibus validum præsidium est. Quippe, per se, aut unà cum aliis auxiliis, potentissimum est, quod sedet tussim vehementem; solvat spasmus musculorum, quorum motibus alternis hauritur atque emititur spiritus; atque, intra modum, cohibeat fœdissimam alvi proluviem. Confitendum tamen est, inflammationi opportunitatem, si qua, augere, atque, postquàm ulceratis pulmonibus inveteravit morbus, nonnunquàm, quod sanè periculosum, alvum, ex toto, sistere.

XC I. *Acidum sulphuricum aromaticum* adhibetur à syntecticis, quò cùm stomachum firmet, tum sudorem cohibeat. Sicubi autem, ut interdum, nimis stimulet, ei substituatur *acidum sulphuricum dilutum*.

XCII. *Demulcentia*, præsertim mucosa ex terrâ natis parata, lactei humoris specie, à tabe maceratis assumuntur; quò tam sputum ex pectore facilius reddant, quàm, fauces illinendo, tussim levent, qua æger concutitur.

XCIII. *Absorbentia*, quorum sanè nullum *potione cretaceâ* melius est aut efficacius, plurimùm ad diarrhœam, qua tanquàm colliquant syntectici, temperandam possunt. *Catebucium* quoque, aut linctûs formâ, aut aquâ tepidâ solutum, plurimùm haud rarò pollet.

xciv. Utì autem hæc diarrhœa, qua superstites vires dissipat inveterata phthisis, sæpiùs è sanguine putrescente materiâ vitiato oritur, quàm ex acidis aut acescentibus in stomacho et intestinis; ità sæpiùs efficaciusque acidis cohibetur, atque subacidulis *dulcacidulisve* fructibus.

xcv. Denique, etiamsi, ut speramus, curatio, in quam, nostris temporibus, processerunt medici, phthisicis multum levaminis, forsitanque interdum salutem, afferat; tamen eheu! sæpè tam insanabilis vis morbi est, ut, GREGORII verbis, aptè concludamus.

xcvi. “ Quin et exempla nimis frequenter
 “ occurrunt, in quibus perfectæ curationi non
 “ est locus, sive suâ naturâ morbus insanabilis
 “ existit, sive tantùm imperfecta medicinæ
 “ conditio idonea et efficacia adversus eum re-
 “ media non suggerit. Et profectò in omni-
 “ bus

“ bus morbis, quum jam ad extrema ventum
 “ est, et instantis mortis indicia spem nullam
 “ curationis relinquunt, aliquid adhuc solerti
 “ medico faciendum superest: erit enim
 “ quoddam, in tali miserrimo et desperato
 “ statu, lenire mala quæ summovere nequeat,
 “ et *ἰσθραρασιαν* saltem moribundo moliri, si-
 “ quidem vitam ejus neque conservare possit,
 “ neque ampliùs producere (A).”

(A) Vid. GREGOR. *Conspect. Medicin. Theoret.* § 976.



